



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Symmvla Caietani

Cajetan, Thomas

Antverpiae, 1575

Confessio sacramentalis quare ex parte confessoris iteranda.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41716

82 Confes. iteratio.

communicato, non habet excommunicatio, unde cogat ad sacramenti poenitentiae iterationem: si autem sacramentum ab excommunicatione annullaretur, oporteret sacramentum iterari. Ex iure autem excommunicationem annullare suscepta sacramenta non habetur: quoniam tamen multa excommunicatis sint sic inhibita quod facta, sunt irrita, ut acquirere beneficia, eligi, &c. Unde consequens est ut excommunicati confessio integra, si subsequuta est de facto absolutio sacramentalis, non sit necessario iteranda: sicut non est iteranda per solutio horarum canonicarum, quas excommunicatus exoluit cum aliis solenniter in Ecclesia, & tamen à participatione aliorum qui medietatem dixerunt, erat per excommunicationem exclusus: & sicut non est iterandum sacramentum matrimonii quod excommunicatus contraxit, & sicut non est iterandum sacramentum extremae unctionis quod excommunicatus sumpsit.

Confessio sacramentalis quare ex parte confessoris iteranda.

EX parte autem confessoris iteranda confessio propter defectum potestatis, ut scientiae, vel voluntatis est: quoniam haec omnia ad perfectionem sacramenti exiguntur. Et de potestate quidem constat secundum iura, quod si deficit confessori potestas ordinis: quia non est sacerdos: aut potestas iurisdictionis, quia nec ordinariam, nec delegatam iurisdictionem quovis modo habet: aut usus potestatis, quia est excommunicatus maiori excommunicatione, aut suspensus ac huiusmodi usu, confessio iteranda est: quia absolutio nulla fuit. Et ideo sacramentum nullum fuit quia defuit ipsius forma, quae est absolutio. Memento tamen hic supradictorum de absoluteione, scilicet quando gesta tenent ratione publici officii propter communem

Confes. iteratio. 83

in unum errorem facti cum titulo: quia tunc tenet etiam absolutio sacramentalis, nisi deficeret potestas ordinis: quia potestas ista non potest suppleri à iure positivo: hodie quoque propter constitutionem Concilii Constantien. sub Martino v. non est iteranda confessio absolutorum ab excommunicato, &c. nisi fuisset denunciatus, aut propter notoriam percussio- nem clerici excommunicatus: quia Canon ille cōcedit receptionem sacramentorum ab excommunica- to, non reuelando excommunicatum. Cōstat autem quòd absolutio non est in fauorem absoluentis, sed absoluti. Si verò cōfessoris potestas defuit absoluendi à solis casibus aliquibus referuatis, de quibus pœni- tens ei est confessus, & de facto absolutus ab eodem, quando sibi constabit hic confessoris error, non te- netur iterare confessionem tantum: sed confiteri de illis referuatis tantum, sicut si tunc fuisset missus ad Episcopum pro absolutione illorum.

Ex defectu verò scientiæ, quando cōfessio est ite- randa vel non iteranda, relinquo prudentis arbitrio, vt singularibus conditionibus pœnitentis & confes- soris pensatis, iudicet si confessio sit iteranda. Hoc autem dico, quia ad sacramentum hoc sufficit, vt sa- cerdos intelligat quæ confitetur pœnitens esse pecca- ta & mortalia quò ad communia & iudicet istum esse absoluendum & sciat absoluere, &c. Sed respectu illius vel illius pœnitentis, potest tanta esse ignoran- tia, vt ipsemet pœnitens cognoscat non cōfessum. Ec- potest esse sine scientia, tanta practica, vt fuerat suffi- cientior multis doctis cōfessoribus. Ex parte demum voluntatis, si finxit absoluere, & non absoluit: aut si non erat tunc mentis compos (quia deficiente ei usu liberi arbitrii) aut quia noluit absoluere, con- fessionem iterare oportet: quia sine vera absolu- tione sacramentum nullum est. Memento inter

84 Confess. conditiones.

omnia hæc, quòd quando oportet iterare confessionem, si eidem confessori persona confitetur, non oportet iterare particulariter replicando, sed sufficit dicere, Dico meam culpam de illis omnibus quæ aliàs dixi Pa. v. & poenitentiam taxatam ab eodem in memoriam reuocare saltem modo superius explicato: ut sic confessio olim facta perficiatur & continuetur cū noua contritione, satisfactione, & forma sacramenti.

Confessor sacramenti quas debet habere conditiones.

Confessor debet habere quinque conditiones, potestatem, scientiam, prudentiam, bonitatem, sigillum. Et de potestate quidem tam ordinis quàm iurisdictionis dictum est & paulò antè, & in verbo, Absolutio. De scientia autem, in cap. omnis utriusque sexus. de poeni. & remis. dicitur. Sit discretus & cautus, ut more periti medici superinfundat vinum & oleum vulneribus sauciati, diligenter inquirens, & peccatoris & peccati circumstantias, quibus prudenter intelligat quale debeat ei præbere consilium, & cuiusmodi remedium adhibere, diuersis experimentis vrendo ad soluendum ægrotum.

Vnde euidenter apparet, confessorem oportere habere scientiam inquisitiuam de circumstantiis peccatoris & peccati, & scientiam medicatiuam animæ ægrotæ. Et prima quidem scientia necessaria est simpliciter confessori ad cognoscendum & iudicandum: quòd constat esse officium confessoris, quum verè & propriè sit iudex in foro poenitentiali. Secunda autem scientia requiritur ad confessorem, quatenus se habet ut medicus animæ. Et quia hoc non conuenit confessori nisi metaphoricè, nec totaliter, nisi sit pastor: ideo ista secūda scientia minus requiritur quàm prima. Oportet ergo secundum sacros Canones confes-
sessorem